

28

ADVERSARIORUM  
DE  
AVIUM NIDIS,  
EX OBSERVATIONIBUS IN TAVASTIA COLLECTIS,  
FASCICUL. I. MUS.

---

QUEM

CONSENS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

*CAROL. NICOL. HELLENIO,*

PHILOS. ET MED. DOCT., OECON. PROFESS. REG. ET ORD.,  
NEC NON REG. ACAD. SCIENT., SOC. PATR. HOLM.,  
IMPER. ACAD. NAT. CURIOS. ET REG. SOC.,  
OECON. FENN. MEMBRO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ CENSURÆ OFFERT

*NICOLAUS JOHANNES IDMAN,*

TAVASTENSIS.

In Auditorio Majori die XXIX Maji MDCCCII.

horis a. m. confvetis.

---

*A. B. O. Æ,* TYPIS FRENCKELLIANIS.





**O**conomiam perferutantes animalium, non possumus, quin summa cum voluptate admiremur instinctum, quo, in negotiis suis perficiendis, feruntur. Apum Melliferarum industriam, qua victum sibi colligunt, collectumque in usus futuros recondunt, vel minima attentione considerans, quis est, qui non obstupescat. Instinctus autem hic animalium ceteroquin admirandus, in genere suo propagando omnium tamen maxime elucet. Pericula enim, quibus teneri adhuc eorum fetus sunt obnoxii, summam utique urgent prudentiam observandam. Sic Natura etiam avibus indicavit atque eas docuit nidos, in quibus ova sua foverent, construere. Quorum profecto structuræ considerandæ, non sine summa sapientiæ creatoris admiratione, immorari licet. Nam quod ad locum eligendum, quo aves hæc sibi fingunt cubilia, attinet, eodem semper, & securitati & vitæ sustentationi earum optime prospectum, invenies. Sic Accipitres, nullos e classe avium veriti hostes, in cacuminibus arborum nidificant, ut ad prædas observandas eo patientiorem habeant campum, dum Tetraones, & aliæ quam plurimæ avium, falconum metuentes impetus, humi intra frutices sua abscondunt puerperia, pullis etiam suis de sufficienti cibi copia, ex insectis, in his locis potissimum hospitantibus, scite admodum provisuræ. Materiam præterea, ex qua hæc sibi faciunt domicilia, æque ac formam eorum examinans, eadem in quoque avium genere soti pullorum apprime accommodata reperies. Aliæ nempe e limo ædificia sibi fingunt arcuata, exiguo e latere instructa aditu. Aliæ rursus ex ramentis arborum domos sibi struunt globosos, su-

perius patentes, ceteras ut taceam varietates nidorum cuiusque que fere speciei quodammodo proprias.

A puero inde, amœnitatibus quas alma Ornithologia suis offert cultoribus, mirum quantum captus, nidamenta in Tavastia nostra avium omnibus indagare vestigiis studui. Cujus studii fructus sunt adversaria nonnulla, quorum fasciculum primum publicæ jam subjicere censuræ ausus sum, quæ, si digna benigno habeantur judicio, impense mihi gratulabor.

## ORDO I: MUS ACCIPITRES.

### GEN. I. FALCONES.

1. *Falco Chrysaëtos* Linn. Syst. Nat. edit. XIII. Tom. I. p. 125. Fn. Sv. p. 19. No 54. Sv. *Örn*, Fenn. *Kotka*.

Montium præcipitia, vel prout occasio tulerit, summa excelislinarum Pinnuum cacumina, nido suo eligit, eumque concinna admodum arte struit ex ramentis arborum, quæ concellatim complicat, & demum in cubile non minus sibi met ipsi quam pullorum futuri accommodum, Lichenibus, Polytrichis, fœno & ejusmodi rebus mollioribus insternit. Latitudinis ut plurimum occurrit fere duarum ulnarum, & formæ a quadrata, pro loci circumstantia in rotundam variantis, fundo semper planiusculo, ad latera tamen paululum elevato. Quemadmodum raro omnino sedes suas mutat, ita eodem etiam per omnem vitam plerumque utitur nido, quovis tamen novo vere in quantum vitium ceperit, omni solertia refecto. Semel per annum ova ponit, eaque numero duo, ad summum tria; magnitudinis ovorum anseris, ejusdem ad utrumque fere polium convexitatis, fordide albescencia, maculis fusco ferrugineis variegata. Quamdiu iisdem incubet pro certo nihil asserere aulin; exploratum tamen est, primis diebus mensis Junii bina jam in nido



nido reperiri ova, e quibus initio mensis lequentis totidem exclusi apparent pulli. Hi nudi in lucem prodeunt, vel rarissimis ad futuras tantum cutis tecti plumis, initio subalbidis, omnibus demum corpore undique novis, qui eruperunt, vestito, flavescentibus. Hoc tempore admodum sunt famelici & rostro apertis, sono querulo cibum avidissime expetunt, qui ipsis procul dubio a parentibus de præda parta, in frustula minora dilaniata porrigitur, usque quo rostra eorum tantum roboris & firmitatis acceperint, ut iisdem animalium carnes ipsi jam discerpere valeant. Ad medium mensis Augusti rufo-fuscum obtinent colorem, pennis scilicet per totum corpus protrusis, iisdemque in alis, mense jam ad finem vergente, ita explicatis, ut earum remigio per aëra volare queant, e nido depellantur, sibimet ipsis in posterum prospecturi.

*Melanaëtus* L. S. N. XII. Tom. I. p. 124. & *Albicilla*, p. 123. ad eundem, quo *Chrysaëtus*, tenorem injuncta sibi in hac Oeconomiae naturæ parte negotia absolvunt, haud obscuro Ornithologis indicio, eosdem arctissima etiam inter se affinitate esse conjunctos a).

2. *Falco Osifragus* L. S. N. XII. T. I. p. 124. — Fn. Sv. Retzii N.o 4. p. 61. Sv. *Hafs-Örn*, Fenn. *Meren-Kotka*.

Loca mari vicina incolit, raro idcirco in Tavastia superiori reperiendus, mihi saltim nunquam visus. A ruricolis

a) Experientia edoctus indubia Generos. CARLSSON *Chrysaëtum* & *Albicillam* ejusdem speciei meras esse varietates aperte enunciat. Vide *Ejusd. Tal med Utkast til Falkslägtets Sc. indelning och beskrifning*, Stockh. 1798, p. 5. De *Chrysaëto*, *Fulvo* & *Melanaëto* suis ex observationibus idem suspicatur Illustris. Comes WACHMEISTER. Vide *Vett. Acad. N. Händl. för år 1801, 3 Qu. Cfr. pag. 171 & 182.*

nostris relatum tamen audivimus, nidum more Chrysaëti e dis-  
fractis arborum ramis illum fingere, inque eodem nunquam  
ultra duo parere ova, maxime globosa, Anserinis vix majora,  
albitiei sordidissimæ & punctis fusciscentibus inspersæ, uno  
quoque eorum, ne plus nimio multiplicetur hæc species  
noxæ futura, semper urino.

3. *Falco Haliætas* L. S. N. XII. T. I. p. 229. — Fn. Sv.  
N. 65. p. 22. Sv. *Fiskljuse*, Fenn. *Kala Haukka*.

Piscibus vicatans ad littora lacuum imprimis, in altissimarum Pinuum verticibus, ex eadem, qua priores materia, & solertia haud inferiori, suum construit nidum. Capacitatis tamen hic semper est minoris, diametro unam ulnam cum dimidia nunquam excedente. Ultimis diebus mensis Maji duo jam in illo apparent ova, parum omnino ad alterum polum acuminata, maculis fusco ferrugineis quasi marmorea. Pulli iisdem prognati, triginta nondum abhinc elapsis diebus, nudi proveniunt, primum plumis cineraceis, demum pennis ferrugineo variegatis vestiendi. Tenellulis in etiam offerunt parentes Ranas, Lacertas, immo serpentes, quarum carnes putredine imprimis emollescentes, dapes illis esse videntur insipidissimæ, hinc etiam nidus pessime olet; adultioribus vero captos quoslibet pisces, unco rostri scilicet durioribus jamjam carnibus dilaniandis sufficiente. Versus finem Augusti de nido depulsi, omnino quemadmodum cum Illustr. A LINNE Auctorum plurimi statuerunt *bumi habitant inter arundines juxta aquas b)*, pisces nimirum prædaturi minores, postero e contrario vere, iisdem de migratione sua revertis, & dein per omnem ætatem suam piscibus majoribus nunquam nisi ex alto insilientibus.

4. *Fal-*

---

b) Ejusd. Fn. Sv. Ed. 2. pag. 22. Cfr. Sv. *Vetensk. Acad. Handl. T. V. p. 304.*

4. *Falco Lagopus* L. S. N. ed. cura *Gmelin*, T. I. p. 260.  
 — Fn. Sv. Retzii N:o 6, p. 62. Sv. *Gráfalk*, Fenn. *Lapin-Haukka*.

Rara in Tavastia avis, nusquam forte nisi sub migratione sua Lapponiæ versus Alpes, idque nonnisi ad breve tantum tempus videnda.

5. *Falco Apivorus* L. S. N. XII. p. 129, N. 26. — Fn. Sv. p. 22. N. 65. Sv. *Slagbök*, Fenn. *Pouta-Haukka*, *Tuulen-Haukka*.

Silvestria amat loca, & nisi aliarum, de corvorum imprimis genere, avium jam parata cubilia ipsi occupanda obvenerint, in arboribus emarcidis, annui tantum usus nidum, paucilla adhibita arte & industria, extruit de ramis arborum complicatis, intus quibuscunque rebus mollibus & coherentibus ultimo investiendum. Pro diversa tempestatis primo vere indole, aliquando citius, nunquam autem initio mensis Maji ferius ova ponit tria rarius quatuor, gallinaceis vix majora cinerascens, maculis dispersa ferrugineis, tribus in summum septimanis incubanda. Pulli adhuc dum tenelli larvis nutriuntur imprimis de genere vesparum & apum eruendis ex alvearibus, parentum industria ad nidum congestis; adultiores vero jam & pennipotentes animalibus quibuslibet minoribus de præda nutritorum parta ipsis in cibum concessis. Ad tempus scenilecii de nido egressi apparent, humiliori sub volatu *Gryllos*, *Ranas*, *Mures*, aviumque pullos prædantes.

6. *Falco Milvus* L. S. N. XII. T. I. p. 126. N. 12. — Fn. Sv. p. 20. N. 57. Sv. *Glada*, Fenn. *Ilma-Haukka*?

In arboribus nidificat solertia *Apivori* nequam majori. Ova in nido hujus posita ad finem mensis Aprilis jam  
A 3
appa-



apparent duo, aliquando tria, magnitudinis vix ovorum gallinæ, albida maculis fuscis nebulosa. Ex his tres ultra septimanas rarissime incubatis circa finem mensis Maji pulli excluduntur duo, ovo scilicet tertio, quando adfuerit, ad naturæ nutum semper infecundo. Hi sono querulo famem indicantes suam sæpissime etiam nidum hominibus detegendum produnt. In cibo illis sunt a parentibus capta animalia quævis minora; *Rane* autem, *Lumbrici*, & *Lacertæ* imprimis tenellulis.

7. *Falco Gentilis* L. S. N. XII. T. I. p. 126. N. 13. —  
Fn. Sv. p. 20. N. 58. Sv. *Falk*, Fenn. *Hijfi-Haucka*.

Vagus licet nostris in regionibus nonnunquam occurrat, fœdolis tamen procreandæ causâ illum nidamenta hic locorum collocasse nondum observatum est.

8. *Falco Subbuteo* L. S. N. XII. p. 127. N. 14. — Fn. Sv.  
p. 20. N. 59. Svec. *Lârk-Falk*.

Nidos ut plurimum in cavis arborum ab avibus de Picorum genere paratos occupat, proprii extruendi admodum negligens, aliquando tamen licet rarissime in fissuris rupium reperiundi. Ova parit tria ad quatuor columbinis haud minora, superiorum vero falconum illis albidiora, maculis inspersa rubellis. Pulli prognati versus finem Maji mensis, albis per totum corpus jam velliti videntur plumis, & dehinc tribus ad summum elapsis septimanis, perfecte pennati nido egrediuntur. Quæ ad horum nidos ciborum observantur reliquia, aviculas, earumque imprimis e nido detractos pullos nondum puberes, hisce maximis esse in deliciis aperte testantur.

9. *Falco Buteo* L. S. N. XII. T. I. p. 127. N. 15. — Fn.  
Sv. p. 21. N. 60. Sv. *Qvidfogel*, *Ormvråk*, *Dyvåk*.

In sylvis pascuis cornicum sæpissime occupat nidum, vel eorum fere ad modum proprium contexit. Ova in his primis  
men-



mensis Maji diebus reperiuntur quatuor, gallinariis paulo minor, alba, maculis fulco-fulvis guttata. Matre aliquando occisa, ovorum & incubatus & pullorum educationis curam Mas in viduitate relictus, in se suscipit omnem. Pulli variorum generum Amphibiis nutriuntur, ad finem vero mensis Julii e nido depulsi, avium plurimarum & ex his Tetraonum imprimis pullis, quibus soni eorum pipientis imitamine insidiantur, noxæ sunt summæ.

*Falco Ater* Fn. Sv. Retzii p. 66. N. 12. pro varietate bimula hujus speciei habetur c).

10. *Falco Tinnunculus* L. S. N. XII. T. I. p. 127. N. 16.  
— Fn. Sv. p. 21. N. 61. Svec. *Kyrkfalk*, *Tornfalk*,  
*Dufbók*, Fenn. *Kybkyften - Haukka*.

In turribus, muris præaltis, rupium antiis, immo excellarum arborum cavis, nidum sibi fingit ex congestis quibuslibet rebus mollibus & prolis suæ futuri accommodis. Ova ponit 6 ad 7, reliquos idcirco falcones eorum numero superans, omnes. Hæc albida sunt maculis inspersa rubentibus crebris; viginti tantum diebus incubanda. Venantur parentes ut notum est, columbas, aviculas & masculos. Ex his autem ultimo loco nominata animalia pullis præsertim in escam cedunt, carniū fortassis ipsius lapidistimarum. In aviariis carne & visceribus animalium in frustula dissectis bene aluntur & brevi imprimis si nondum pennati e nido capti fuerint, mansuecunt, ad aucupia minimo procul dubio labore dein instituendi.

11. *Fal-*

---

c) Vid. *Bechstein* Anhang zum ersten Bande von *Lathams* Uebersicht der Vögel, p. 663, N. 44. & ejusd. Kurtzgefasste Naturgeschichte das Inn- und Auslands, T. 314. N. 6, not. 2.

11. *Falco Æruginosus* L. S. N. XII. T. I. p. 130. N. 29. —  
Fn. Svec. p. 23. N. 66. Sv. *Har-bök, Andbök, Fenn,  
Jänesbaucka.*

Humi ad paludes arundines inter & altiora æjusmodi gramina, quo melius occultetur, nidum sibi ex hypnis aliisque hunc in usum aptis rebus mollibus conficit. Initio jam mensis Maji quatuor incubat ovis, columbinis parum majoribus, albidis, maculis fuscescentibus irroratis & tres intra septimanas excludendis. De ovis prodeunt pulli plumis bene vestiti, quo frigus, quod his in locis nonnumquam usque in adultam fere ætatem noctu imprimis gravat, salvi ferre possint incolumesque. Ad aquas nidum circumcingentes æstus solis amphibia eorumque larvas allicit, pullis in escam facillimo itaque negotio a parentibus colligenda. Mediam versus ætatem aquis hiseo jam exliccatis de nido egressi & sibimet ipsis de cibo in posterum prospectari, ad paludum oras animalibus iisdem invidiantur, usque quo volare didicerint, Anatum, Gallinarum, Leporumque pullis dein illaturi cladem.

*Falco Rufus* Fn. Sv. edit. *Retzii* p. 65. N. 10. A *Cesl, Bechstein* pro Æruginoso habetur nondum adulto.

12. *Falco Palumbarius* L. S. N. XII. T. I. p. 130. N. 30. —  
Fn. Sv. p. 23. N. 67. Svec. *Hönstjuf, Fenn,  
Kanabaukka.*

Ad modum Apivori in Pinibus ut plurimum nidulatur, ova quoque ponit 4 ad 5 Gallinariis omnino minora, de rufo-fulvescentia, maculis fuscis inspersa. Ipsiis initiis mensis Julii pullos undique jam vestitos plumis albescentibus in nido observavimus, illisque in escam allatas omnis fere generis animalium carnes, quarum putredine maxime emollitæ hinc facti-

disli-

disimæ, ipsis lapidissimæ esse videbantur. Pullis reliquorum Falconum citius adolefcunt, & rapinæ avidissimi, ætatis suæ primo jam anno in aves nostras imprimis domesticas, mole ipsis licet multo majores, ferocissime irruunt.

13. *Falco Rusticolus*, L. S. N. XII. T. I. p. 125. N. 7. — Fn. Sv. p. 19. N. 56.

Recentiorum juxta observationes, junior est Palumbarius tertiam vix pasus deplumationem d).

14. *Falco Nifus* L. S. N. XII. T. I. p. 130. N. 31. — Fn. Sv. p. 23. N. 6. Sv. *Sparfbök*, Fenn. *Varpuisten-Haukka*.

In arborum cavis, turribus & rupium fisfuris, hujus reperiuntur nidi, ex corralis graminibus, Lichenibus filamentosis; avium pennis plumisque confecti. Ova in his supra quatuor mihi observare nunquam contigit, columbinis vix majora, fordide albescentia, maculis fulcis denticulatis variegata. Ad finem vergente mense Junio pulli exclusi jam apparent plumis vestiti. Nidum suum hi servant mundissimum, an propterea quod tenelluli excrementis, prout fertur, imprimis educentur parentum, non dixerim. De adultis saltim hujus speciei avibus exploratum est, quod propriis suis nonnunquam vescantur stercoribus e). Nec est in illa re quod magnopere miremur. Tantæ enim sunt voracitatis, ut data quavis occasione plus ingerant, quam rite digerere valent, quo fit, ut superfluum omne gravans quam ocyslime, natura jubente, excernere cogantur, ipsis de novo famelicis, secundo esui futurum.

B

d) Vide supra cit. Generof. CARLSON *Tal om Falkarterne* &c. p. 20.

e) Cfr. A. E. *Gæze Europäische Fauna*, IV:ter Band, p. 197.



rum. Tempore mensis e nidis egressi, de domuum tectis & iisdem proximis sepibus, columbis, pasferibus & hujus generis aviculis plurimis infidias tendunt, captas, quo melius occultentur scelesti, inter fruteta demum deplumandas, devoraturi.

*Falco Lithofalco* Linn. Fn. Sv. ed. Retzii p. 69, N. 15, secundum observationes Cel. *Bechstein* est Nifus biennis f).

## GEN. II. STRIGES.

1. *Strix Bubo* L. S. N. XII. T. I. p. 151, N. I. — Fn. Sv. p. 24, N. 69. Sv. *Uf, Berguf, Fenn. Hubkaja, Haupto, Hyypia, Hyytia.*

Nidum suum diametro nonnunquam 2 pedes excedente, in cavernis altissimorum montium versus solem collocat meridianum, ut rupes calefactæ temperatum eidem etiam noctu suppeditent calorem, & in locis accessionis difficillimæ plena fruatur securitate. Materiem hujus constituunt collecta arborum ramenta, quæ affabre omnino complicat & foliis Populæ tremulæ optime obtecta animalium velleribus ultimum investit. Ova ponit duo magnitudinis anserinorum, alba, maculis fuscis variegata creberrimis, eademque triginta diebus sovet. His prognati pulli jam initio mensis Maji nonnunquam prodeunt, an nudi? dicere non aulam, mihi saltem mox vili sunt plumis vestiti. Tarde admodum adoleseunt, & in nido a parentibus haud raro ad finem usque mensis Augusti educantur, & satiantur noctu captis calidi imprimis sanguinis animalibus in frutula minorâ dilaniatis. Auxilio viduati parentum ad loca ab hominibus

---

f) Vid. Ejusd. Anhang zum ersten Bande von *Lathams* Allg. Uebersicht der Vogel &c. S. 672: N. 78.



nibus cuncta confugiunt de tectis praesertim horreorum, muribus infidiaturi, quos nulla fere praegressa manducatione totos diglutiunt, in ingluvie demum macerandos.

1. *Strix Scandiaca* L. S. N. XII. T. I. p. 227. N. 2. — Fn. Sv. p. 24. N. 70. varietas hujus est *Lapponica* g).

2. *Strix Otus* L. S. N. XII. T. I. p. 132. N. 4. — Fn. Sv. p. 24. N. 71. Sv. *Hornuggla*, Fenn. *Sarvipöllö*.

Arborum in cavis parata quævis cubilia quamprimum invenerit sibi vindicat, hinc etiam Vespertilionibus & Sciuris hostis est infelicitissimus. Incunte mense Majo ova, gallinaceis parum minora, ponit quatuor ad quinque, immaculata albida, exacto demum mense excludenda. Pullis primum in cibo esse videntur infecta quævis, horum ingestis quippe frustulis excrementa eorum hoc tempore praecipue scatent; adultiores vero Vespertilionibus, de murium genere plurimis, aliisque ejusmodi animalibus nutriuntur nocturnis, usque quo primo autumno, nido egressi ipsimet iisdem sufficiant venandis,

3. *Strix Nyctea* L. S. N. XII. T. I. p. 132. N. 6. — Fn. Sv. p. 25. N. 76. *Tengmalm* N. Act. Reg. Acad. Sc. Holm. 1793. p. 264. Sv. *Harfång*, Fenn. *Lapinpöllö*.

Rariores inter nostras est aves, ejusque nidum a nomine repertum audivimus.

4. *Strix Aluco* L. S. N. XII. T. I. p. 132 & 133. N. 7 & 9. — Fn. Sv. p. 25 & 26. N. 72 & 77. *Tengmalm* loc. cit. p. 270. Sv. Mas. *Har-Uggla*, Fœmina *Skrick-Uggla*, *Natt-Uggla*, Fenn. *Tarbapöllö*.

---

g) Vid. Vett. Acad. N. Handl. T. XIV. p. 237.

Historiam hujus avis naturalem omnibus numeris adeo absolutam Ornithologis dedit Clariss. *Tengmalm b)*, ut eidem quod addam, nihil habeam.

5. *Strix Flammea* L. S. N. XII. T. I. p. 133. N. 8. — Fenn. Sv. p. 25. N. 75. *Tengmalm* loc. cit. p. 274.

Muribus viclitans, in cavis arborum, muris & turribus templorum ex parce admodum collecto substramine, nidificat, loco imprimis postremum nominato, plebi superstitiosæ, sono suo roncho hominis morientis haud abfimili, terriculamento futurus gravissimo. Mox primo ineunte vere ova quinque ad sex parit alba, subglobosa, mense jam Majo excludenda. Pulli infectis aluntur mollioribus, & muribus, pelle tamen primum a parentibus detracta, illis oblati. Versus autumnum sibimet ipsis licet jam de cibo prospiciendum sit, indisolubiles nihilominus primo ætatis suæ anno cohærent socii, quo adventante hyeme, acerrimo etiam frigori in nido suo vel cavis quibusvis arctioribus coagmentati, resistere valeant.

6. *Strix Ulula* L. S. N. XII. T. I. p. 133. N. 10. *Tengm.* 1. c. p. 279. Sv. *Brand-Uggla*, Fenn. *Pöllö*.

Nidus hujus in turribus, arborum cavernis, immo nonnunquam humi inter ericeta comparet, ovis de numero ternario in fenariam adscendentibus, subglobosis, albis, columbinis æqualibus. Ex ovis viginti diebus, vel pro diversa tempestatis indole etiam diutius incubandis, pulli prodeunt undique albis tecti plumis, a parentibus primum infectis, parum fortasse antea commorsis, dein muribus, talpis, & vespertilionibus captis, in serum usque autumnum, nutriendi. Nido tandem deserto, ad domos

---

b) Sv. Vett. Acad. Nya Handl. T. III. p. 133.

domos & loca culta, facilius potiandi victus ergo, se conferunt, ubi vesperis tenebrosis candelarum luminibus allatis Phalænis inlidiatur in fenestras haud raro irruunt, sono edito *Klä-lytt* (veltes indue albas h. e. funestas) iterato, nimum credulis, superstitione hac, procul dubio de Svecica gente in nostram translata, præcones habentur ferales minime dubii.

7. *Strix Funerea* L. S. N. XII. T. I. p. 153. N. II. *Ulla-*  
*la.* — Fn. Sv. p. 26. N. 78. *Tengm.* l. c. p. 284.

De nidificatione hujus raro admodum in Tavastia videndæ avis, nihil adhucdum cognitum habeo vel compertum,

8. *Strix Noctua.* Fn. Sv. ed. Retzii p. 84. N. 35. *Tengm.*  
l. c. p. 289.

Hanc *Strigem* meram modo esse varietatem *Pasferinae* statuit Ccl. *Bechstein* an vere? non dixerim, hujus talem in hunc usque diem nondum mihi visæ sunt nidi,

9. *Strix Pasferina* L. S. N. T. I. p. 153. N. 12. — Fn.  
Sv. p. 26. N. 79. Fenn. *Picku Pöllö.*

Nidulatur in cavis arborum, collectis huic usui accom-  
modis rebus quibusvis mollioribus. Mature, mense nimirum  
Aprilis nondum peracto, ovis jam ineubat quatuor, magni-  
tudine nihil illis *Fringillæ Rusticæ* cedentibus, splendide al-  
bis, ad medium sequentis mensis excludendis. Follis nutri-  
mento sunt Insecta ordinis imprimis Hemipterorum Linn. a pa-  
rentibus, quo iisdem vesci commodius possit tenelluli, in  
frustula commorsa. Versus autumnum nido egressi in conjun-  
ctim venandis *Vespertilionibus*, musculis & sibi in escam a  
natura concessis animalibus aliis, primo semper diluculo, mi-  
ra omnino versantur solertia,



GEN. III. LANII.

1. *Lanius Excubitor* L. S. N. XII. T. I p. 135. N. 11. —  
Fn. Sv. p. 27. N. 80. Svec. *Varfogel*, venn. *Lapin-  
Harakka*.

Arborum patularum ramis inferioribus, imprimis trifurcatis nidum figit suam, ex Hypnis concinna sane arte graminibus contextis longioribus, & lana laniferorum vegetabilium, nonnunquam etiam ovium leporumque dale superstratis, constructum. In hoc pro ætatis suæ diversa ratione ova, ordiendo a quinque, uno quotannis addito ad summum parit septem, eorum numero, ex adulta denno in senectam, qua parere desinunt, eundem in modum decrescente. Magnitudinis sunt columbinorum, dilate cæruleata, maculis tincta fuscis, & quindécim diebus incubanda. Pulli mense Majo proveniunt, primum larvis insectorum, rostellis verò suis quadantenus firmatis, perfectis immo & crustaceis ex eadem familia animalibus, alendi. Nido deserto gregatim parentibus adhærent suis, ab iis scilicet ducibus ut optimis, ad avicularum venatum feliciter exercendum, indies instituendi. Hieme vero cum penuria victus ingruente, ad naturæ nutum segregantur, jam de proprio sibi ex aviculis & insectorum pupis capiendis, cibo in posterum singulatim prospecturi.

2. *L. Collurio*, L. S. N. XII. T. I. p. 136. N. 12. — Fn. Sv. p. 27. N. 80. Svec. *Törnskata*.

In describendo hujus nido, non est quod immoremur, sufficiat monuisse, Historiam hujus avis Naturalem absolutissimam orbi erudito dedisse Cl. TENGMALM *i*), cujus, quod ad nidum attinet observationes, optime nostris quoque respondent.

---

*i*) Vid. Sv. Vett. Acad. N. Handl. T. II, p. 98 & 101.